MASTER NEGATIVE NO. 91-80408-2

AUTHOR:

HAENEL, GUSTAV F.

TITLE:

AD CICERONIS BRUTUM

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

[1867]

Master Negative #

91-80408-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Haenel, Gustav Friedrich, 1792-1878.
Gustavus Haenel Ad Ciceronis Brutum: XXVII, 106. Lipsiae, prostat apud A.Edelmannum, [1867]
27 p. 26½ cm.

At head of title: Decanus et reliqui professores facultatis juridicae Lipsiensis memoriam Christian Friderici Kees die XIII. m. Febr. a. MDCCCLXVII... pie celebrandum indicunt.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35MM
REDUCTION RATIO: 14
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 1-13-92
INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202








Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DECANUS

ET RELIQUI PROFESSORES

FACULTATIS JURIDICAE LIPSIENSIS

MEMORIAM

CHRISTIANI FRIDERICI KEES

DIE XIII. M. FEBR. A. MDCCCLXVII.

HORA IX.

IN AUDITORIO JURIDICO

PIE CELEBRANDAM

INDICUNT.

GUSTAVUS HAENEL

AD CICERONIS BRUTUM: XXVII, 106.

LIPSIAE
PROSTAT APUD A. EDELMANNUM
BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

67

Praeter exspectationem rediit ad me munus decani sane honorificentissimum, sed tamen gravissimum mihi. Multiplicis enim generis negotia a decano sustinenda sunt, quae vereor, ne apte inque omnes partes convenienter cum dignitate perillustris ordinis jurisconsultorum expedire nequeam. Senem deficiunt animus et vires ingravescensque aetas nec corpus modo sed et ingenium segnius reddit. Verum utcumque infirmitas valetudinis est, tamen veteranorum evocatorum more honorem propositum non esse recusandum existimavi. Suscepi igitur munus decani et simul cum eo, quamquam incertus, de qua re scriberem quidve interpretarer, officium scribendi commentarii latini ad celebrandam memoriam Keesii, viri de nostro ordine jurisconsultorum optime meriti. Habebam quidem aliquando in animo tribus illis, quas edidi, dissertationibus de Constitutione Saluberrima sive de Conventibus Annuis in Urbe Arelatensi Habendis quartam addere, at vero interea non defuerunt viri docti, qui copiose de iis dissererent[1]), neque persolvere possum, quod promisi in descriptione Breviarii Codicis Justiniani, quod inest in codice Trecensi 1317., me, si res ferret, disputaturum esse de aetate deque auctore Breviarii, nondum enim impetravi apographum codicis Bononiensis, sine quo omnis de hoc Breviario disputatio lubrica est aut potius inanis. Quid igitur? Scribamne de rebus quotidianis? Non placuit, nam satis superque operosa cohors scriptorum ab omni tempore vertit in eas calamum atramentumque. Petendum igitur erat peculiare quoddam et

1) Cf. *Notarum* ad Lib. I–IV. Codicis Theodosiani etc. spec. I., quod edidi a. MDCCCLV., p. 1.

minus tritum argumentum, quod non alienum esset a historia juris litteraria, cujus exponendae munere fungor, neque displiceret iis, qui juris artem non profitentur. Quod ut invenirem, coepi undecunque argumenta conquirere, quae quin pro parte saltem nova essent, nemo in dubium vocare posset; sed diu frustra, usque dum aperui codicillos meos, in quibus deponere soleo, quicquid mihi visum est memoria dignum esse. Incidi enim in celeberrimum illum Ciceronis de *perpetuis* quaestionibus locum, cui examinando editores Ciceronis eam, quam debebant, operam impendere, quantum scio, omiserunt, etsi jam XVI. saeculi nonnulli praestanti doctrina excellentes viri de integritate ejus dubitaverant. Itaque operae pretium erit, eum, quatenus in commentariorum academicorum angustiis fieri potest, attentius perscrutari. Non ignoro quidem rem esse ancipitis quaestionis, cui solvendae me imparem sentio. Sit ita sane, modo efficiam, ut viri docti diligentius, quam adhuc fecerunt, hunc locum inspecturi sint. Aggredior igitur ad ipsum Ciceronis locum examinandum.

Scribit Meyer, diligentissimus ille Bruti corrector atque emendator [2]):

> „Rivii, quae feruntur conjecturae, plerumque non conjecturas esse, sed ipsius editionis principis lectiones: praeterea haud paucos locos hac ope a me correctos emendatosque arbitror. Sed ne sic quidem omnes corruptelae evanuerunt; restant etiamnunc plures loci, qui novos codices, novas editiones desiderent."

Et recte quidem dicit, restare plures locos emendandos. Utinam eos enumerasset, neque enim dubito, quin in eorum indicem ex Bruto retulisset verba cap. XXVII, §. 106:

> „Hic (Carbo) optimus illis temporibus est patronus habitus eoque forum tenente plura fieri judicia coeperunt. Nam et *quaestiones perpetuae* hoc adolescente constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt: L. enim Piso tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio consulibus tulit."

2) Pag. 4. *prooemii* edit. Bruti. Hal. 1838. 8.

Perpetuas igitur *quaestiones* Cicero dicit constitutas esse. Sed mirum: scriptores Romani *perpetuarum* quaestionum nusquam faciunt mentionem et vel Cicero, quotiescunque de quaestionibus loquitur, toties simpliciter eas commemorat, non addito vocabulo *perpetuae*, praeterquam hoc loco, quem *Ernesti* [3]) classicum vocat, hac de causa, nisi fallor, quia unicus locus est, ubi quaestiones *perpetuae* nominantur. Quod ut demonstrem, afferam nonnullos locos, ubi Cicero oblata occasione dicendi de *perpetuis* quaestionibus, quaestionis tantum vocabulo utitur.

Or. pro Roscio Amerino IV, 11: „Te quoque maximopere, M. Fanni, quaeso, ut, qualem te antea populo Romano praebuisti, quum huic idem *quaestioni* judex praeesses", et XXX, 85: „Quamquam praeest huic *quaestioni* vir et contra audaciam fortissimus et ab innocentia clementissimus."

„*Act. II. in Verrem* Lib. I, 5, 13: „Confringat iste sane vi sua consilia senatoria, *quaestiones* omnium perrumpat."

Or. pro Cluentio LIII, 147: „Haec *quaestio* sola ita gubernatur" et LIV, 148: „Jubet lex ea, qua lege haec *quaestio* constituta est, judicem quaestionis — quaerere de veneno."

Or. pro Murena XX, 42: „Quid tua sors? tristis, atrox, *quaestio* peculatus."

Or. pro Milone V, 13 et 14: „Hanc vero *quaestionem*, etsi non est iniqua, nunquam tamen senatus constituendam putavit. Erant enim leges, erant *quaestiones*, vel de caede, vel de vi: nec tantum moerorem ac luctum senatui mors P. Clodii afferebat, ut nova *quaestio* constitueretur" — „novam *quaestionem* nunc nullam haberemus. Decernebat enim, ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quaereretur", et c. 11, i. f.: „De hoc igitur latum est ut quereretur. Ita et senatus rem, non hominem notavit et Pompejus de jure, non de facto quaestionem tulit", quem locum respicit *Quinctilianus* III, 11, 17 vv.: „Quid? non in causa Milonis ipsa conjectura refertur ad qualitatem? nam si est insidiatus Clodius, sequitur, ut recte sit occisus. Cum

3) In *Indice Latinitatis* (Clav. Ciceron.) sub v. *Quaestio*. Vid. not. 23.

vero in aliquam rem missa causa et recessum est vel a *quaestione, quae erat constituta,* hic quaestio ubi judicatio est.“

Or. Phil. II, 12, 22: „Quamquam de morte Clodii non satis prudenter *quaestio* illa quidem constituta. Quid enim attinebat nova lege *quaeri* de eo, qui hominem occidisset, quum esset legibus *quaestio* constituta?“

De Finibus II, 16, 54: „Tu me de L. Tubulo putas dicere, qui quum praetor *quaestionem* inter sicarios exercuisset.“

Et facile quidem possem enumerando augere locos huc pertinentes, si commentarii fines hoc admitterent, quare eos silentio praetereo, modo mihi liceat tres alios maxime memorabiles proferre, in quibus Cicero haud aliter atque in Bruto legem de repetundis pecuniis a Pisone latam esse narrat, at nec *perpetuae* tantum, sed ne *quaestionis* quidem vocabulo utitur.

Or. in Verrem Act. II. Lib. III, 84, 195: „L. Piso ille Frugi, qui legem de pecuniis repetundis primus tulit“ et Lib. IV, 25, 56: „Filius enim L. Pisonis erat, ejus, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit.“

De Officiis II, 21, 75: „Nondum centum et decem anni sunt, quum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata *lex* est, *nulla antea quum fuisset.*

Sed non solum ex Cicerone, verum etiam ex aliis scriptoribus Romanis exempla duci possunt, quibus probatur, quod affirmavi, nusquam apud eos mentionem fieri quaestionum *perpetuarum:* quorum exemplorum nonnulla hic apponam.

Varro de Lingua Latina V, 81: „quaestores a quaerendo, qui conquirerent publicas pecunias et maleficia, ab his postea, qui *quaestionum judicia* exercent, quaestores dicti“ [4]);

Tacitus, Annal. IV, 19: „nec dubie repetundarum criminibus haerebant: sed cuncta *quaestione majestatis* exercita“;

---

4) Similiter *Festus* v. „Parrici“. *Varro* l. c. 6, 79: „*quaerere* ab eo quod, quae res ut reciperetur, data opera; a quaerendo *quaestio* ab hisque *Quaestor.*“ Sed dubitari potest de hoc loco. Saepissime enim quaestionem accipiendam esse de investigatione criminis notum est. Cf. quod ad Ciceronem attinet, *Forcellini*, Tot. Lat. Lex. et *Klotz*, Handwörterbuch der Lateinischen Sprache.

Capitolinus, Vita Caes. c. VI: „Pertinax *quaestionem* majestatis penitus tulit;

Suetonius de Jul. Caesar. c. XI: „In exercenda de sicariis *quaestione* eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob relata civium Romanorum capita pecunias ex aerario acceperant, quamquam exceptos Corneliis legibus“ [5]);

Isidorus Orig. XI, 4, 16: „Quaestores quasi quaestores eo, quod *quaestionibus* praesunt“;

denique etiam *Scholiasta Bobiensis* ad v. *Judices quaestionum:* „Eosdem et quaesitores nominabant, praepositos scilicet et ipsis judicibus, quorum certus numerus de causa pronuntiare debebat [6]).“

Inprimis autem huc pertinent Jurisconsulti Romani, qui in libris suis de legibus quaestionum judiciisve publicis crebro quidem quaestiones commemorant, nec vero unquam *perpetuas,* ad quam rem demonstrandam inter alias leges hae potissimum faciunt:

L. 8 *D. ad Legem Juliam Majestatis* 48, 4*: „Papinianus Lib. XIV. Responsorum.* In *quaestionibus laesae majestatis* etiam mulieres audiuntur: conjurationem denique Sergii Catilinae Julia mulier detexit et Marcum Tullium Ciceronem Consulem indicium ejus instruxit.“ (leg. *Marcus Tullius Cicero Consul judicium* ejus instruxit).

Coll. Legum Mosaicarum et Romanarum I, 3, 1*: Ulpianus Lib. VII. de Officio proconsulis sub titulo de Sicariis et Veneficis:* „Capite primo legis Corneliae de sicariis cavetur, ut is praetor judexve quaestionis, cui sorte obvenerit *quaestio de sicariis* ejus, quod in urbe Roma propius mille passus (leg. cum Cujacio X *millia passuum*) factum sit, uti quaerat cum judicibus, qui ei ex lege sorte obvenerint.“

L. 1, *pr. et* §. 1 *D. ad Legem Corneliam de Sicariis et Veneficiis* 48, 8: *Marcianus Libro XIV. Institutionum.* „Lege Cornelia de

---

5) Crebro *Suetonius* quoque adhibet v. *quaestionis* pro investigatione criminis, e. c. in Julio Caes. 6, 2; Augusto 9, 4; Caligula 32, 2; Claudio 34, 2; Nerone 35, 7; Domitiano 8, 14; 10, 7. Sed vid. not. 3. Cf. etiam *Dio Cassius*, Tiber. 19; Claud. 15.

6) *Ed. Orell.* P. II. p. 323.

sicariis et veneficiis tenetur, qui hominem occiderit, cujusve dolo malo incendium factum erit; quive hominis occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulaverit: quive, quum magistratus esset, *publicove judicio* praeesset, operam dedisset, quo quis falsum indicium profiteretur, ut quis innocens conveniretur, condemnaretur. §. 1. Praeterea tenetur, qui hominis necandi causa venenum confecerit, dederit, quive falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis *publico judicio* rei capitalis damnaretur: quive magistratus judexve quaestionis sub capitalem causam pecuniam acceperit, ut *publica lege* reus fieret[7])."

Quid? quod *Pomponius* in perutili illo, quod scripsit, *Enchiridio* historiae juris Romani, Cornelium Sullam quaestiones *publicas* instituisse tradit:

L. 2, §. 32. *D. de Origine juris* 1, 2: „Cornelius Sulla *quaestiones publicas* instituit, veluti de falso, de parricidio, de sicariis.

Porro *Ulpianus Lib. I. ad Edictum* in *l.* 1, *pr. D. ad Sc. Silanianum* 29, 5 „Senatusconsulta introducta esse de *publica quaestione* a familia necatorum habenda" scribit[8])."

Constantinus M. denique in c. 3 *Cod. Theodos. de Accusationibus* 9, 1: „neque enim fas est" ait, „ut passim mulieribus accusandi permissa facultas sit; alioquin in publicis olim quaestionibus interdum aut admissa probatio est aut accusandi auctoritas."

Quae quum ita sint, neminem me temeritatis accusaturum esse arbitror, qui vocabulum *perpetuae* in Bruti, quem protuli, loco in dubium vocem. Adhuc enim quum juris romani tum latini sermonis periti v. *perpetuae* ipsius

---

7) Cf. etiam *Macer* infra in not. 31.

8) Disceptatur inter viros doctos de loco Pomponii, quem attuli, praesertim quum secundum *Valerium Maximum* 7, 5, 5 „L. Sulla leges vetustas abrogaverit, novas tulerit." Quaeritur enim, an Sulla recte dicatur quaestiones publicas instituisse? Cf. *Hadriani van der Hoop* Disp. de iis qui antiquitus apud Romanos de criminibus judicarunt, cap. VII (*G. Meerman*, Thesaur. Supplem. p. 625). *Rosshirt* über das römische Recht als Quelle des deutschen Criminalrechts. Zweites Capitel Von den Quaestiones perpetuae (Neues Archiv des Criminalrechts, Halle 1830. XI. B. p. 371 sqq., inprimis p. 399). — K. S. *Zachariae*, Lucius Cornelius Sulla, II. Abth., Heidelberg 1834, p. 149 sqq. Not. 216. — *Geib*, Geschichte des römischen Criminalprocesses. Leipzig 1842. 8. p. 171 sq. Controversia non spectat ad rem nostram.

Ciceronis esse putant, ducti argumentis, quae sibi visi sunt invenisse in edicto praetorio et antiquo judiciorum publicorum ordine. Quorum virorum ut quisque maxime eruditionis laude excellit, ita pernecessarium est mihi, argumenta, quibus nituntur, explorare, et quoad intra fines hujus libelli licet, examinare. Est quidem aliquid difficultatis in hoc negotio, quod hic et ille vir doctus de argumento in argumentum quasi transiliens verbis ambiguis utitur, ex quo ambiguitas ipsa vocis *perpetuae* cognoscitur. Verum nihilosecius diversas illas interpretationes in tres potissimum sententias cogi posse arbitror, quarum communis fons videtur esse verbi adjectivi *perpetuus* et adverbii *perpetuo* varia explicatio.

Ac primum quidem complures, ex quibus satis erit nominare *Averanium*[9]), *Hugonem*[10]), *Geibium*[11]), *Laboulayium*[12]), jurisconsultos eximiae

---

9) *Interpr.* Lib. I, c. 6, 27: „Dicebatur autem perpetua quaestio, quia Praetor, cui mandata erat ejusmodi quaestio, toto anno de omnibus ejus generis delictis cognoscebat, cum olim pro singulis delictis singuli Quaesitores crearentur. Eodem modo edicta *perpetua* dicebantur, quae toto anno obtinebant totamque rationem juris dicundi complectebantur, cum alia essent edicta, in quibus aliquid e re nata praetores edicebant. Edicta distinguit in haec duo genera Ulpian. l. Si quis id 7. D. de jurisd. „Si quis id, quod jurisdictionis perpetuae causa, non quod, prout res incidit, in albo propositum erit, corruperit." Similiter *H. M. Vockestaert* de L. Corneliae Sulla Legislatore Diss. Lugd. Bat. 1816. 8. p. 119: „Primum omnium lege *Calpurnia* Pisonis judicium de *repetundarum* crimine factum est *perpetuum*, i. e. Praetor fuit institutus, qui ex lege de hoc crimine per *totum* annum quaereret. Cujus quidem constitutionis in crimine *repetundarum* ea mihi fuisse videtur ratio, quod hoc crimen, utpote magistratibus proprium, et maxime vulgatum, minus aptum videretur, de quo universus populus quaereret." — Ceterum Vockestaert sibi non constat, quaestiones enim auctore Pomponio *publicas* vocat p. 118, 120—122, sed e contrario p. 124 „Hinc," inquit, „seculi VII. U. C. lata lege Calpurnia de repetundis institutae fuere quaestiones *perpetuae*, qua de re classicus locus est Ciceronis in Bruto cap. 27", et p. 275: „haec prima fuit quaestio *perpetua*."

10) *Gesch. d. R. Rechts*, XI. Ausg. p. 416, not. 2: „Theils ist diese Benennung (edictum perpetuum) als Abkürzung von der zunächst vorher Bemerkten, die fr. 7. pr. D. 2, 1 vorkommt, und als Gegensatz von einem einzelnen Falle, von repentinum, höchst natürlich, *wenn das Edict gleich nur annuum war, wie die quaestiones perpetuae* ja auch, Beides war doch für alle in einem Jahre vorkommende Fälle regelmässig (stehend) angeordnet, *theils kommen edicta perpetua auch ganz bestimmt bei dem sog. Asconius* (in Cic. pro Cornelio maj. r.) *vor.*"

11) l. c. p. 170, Not. 2: „Dass der Ausdruck quaestio perpetua, eben so wie

doctrinae, legitima esse putant vv. *perpetuae quaestiones* haud secus ac *perpetua edicta* praetorum, idem igitur et *perpetuis* edictis et *perpetuis* quaestionibus significari; illo verbo jus constanter et sine ulla edictorum mutatione dicundum, hoc quaestiones eodem modo exercendas. Verum, quanti equidem faciam auctoritatem virorum illorum, tamen vereor, ne magis verborum sono ducti, quam re vocem *perpetuae* explanaverint.

Videtur enim eos non solum l. 7 pr. D. de Jurisdict. 2, 1, ubi Ulpianus scribit: „si quis id, quod jurisdictionis perpetuae causa, non quod, prout res incidit, in albo propositum erit, dolo malo corruperit", verum etiam lex Cornelia, quae secundum *Asconium* in Ciceronis Orat. pro Cornelio majestatis reo[13]) jussit[14]), „ut praetores ex edictis suis *perpetuis* jus dicerent", in

---

edictum perpetuum im Gegensatze von edictum temporarium nichts weiter bedeutet, als quaestio annua gegenüber von quaestio temporaria, ist schon wiederholt bemerkt worden. Vergl. Averanius etc."

12) *Essai sur les Lois Criminelles des Romains.* Paris 1845. 8. p. 184: „On transféra à des commissions annuelles, qui n'eurent pas besoin d'être nommées pour une affaire spéciale (c'est le sens du mot *quaestiones perpetuae*") et not. 2 ad h. l.: „C'est dans le même sens, qu'on a dit *Edictum perpetuum* pour désigner l'édit, que le prêteur proposait lors de son entrée en charge et qu'il ne pouvait changer pendant l'année de sa magistrature. Averanius 1, 26."

13) Ed. Amstelod. 1675 p. 123; *Orelli* in ed. Cicer. T. V. P. II. p. 58.

14) L. Corneliam commemorat etiam *Dio Cassius* 36, 23 (ed. *Sturz* T. 1, p. 243): „*Καὶ οὕτως ἐκεῖνόν τε διενομοθέτησε, καὶ ἕτερον τοιόνδε· οἱ στρατηγοὶ πάντες τὰ δίκαια καθ᾽ ἃ δικάσειν ἔμελλον αὐτοί, συγγράφοντες ἐξετίθεσαν· οὐ γάρ πω πάντα τὰ δικαιώματα, ἃ περὶ τὰ συμβόλαια διετέτακτο, ἐποίουν· οὔτε ἐσάπαξ τοῦτ᾽ ἐποίουν, οὔτε τὰ γραφέντα ἐτήρουν· ἀλλὰ πολλάκις αὐτὰ μετέγραφον, καὶ συχνὰ ἐν τούτῳ πρὸς χάριν ἢ καὶ κατ᾽ ἔχθραν τινῶν, ὥσπερ εἰκός, ἐγίγνετο. ἐσηγήσατο οὖν, κατ᾽ ἀρχάς τε εὐθὺς αὐτοὺς τὰ δίκαια, οἷς χρήσονται, προλέγειν, καὶ μηδὲν ἀπ᾽ αὐτῶν παρατρέπειν*." „Ita et hanc legem Cornelius pertulit, et alteram hujusmodi. Praetores quilibet solebant jura ea, secundum quae essent judicaturi, scripta edicto proponere. Neque vero omnia jura statuerant, quae ad contractus dirigendos pertinerent: neque id simul semelque fecerant, neque scripto juri steterant: sed illa mutaverant saepius, multaque in hac re ad gratiam vel odium certorum hominum, veluti fieri assolet, gerebantur. Igitur legem tulit, ut et statim a principio praetores ante edicerent, quo jure essent usuri, et deinde nequaquam ab eo deflecterent." *Bach*, cui displicet *perpetuis* apud Asconium, corrigit *perpetuo* (Hist. jurispr. Rom. ed. *Stockmann.*) p. 215, not. *m*; cum reprehendit *Hugo* l. c. p. 712, not. 1, recte, nam *Valerius* de Notis antiquis, § 5: „*In edictis perpetuis* haec I. D P. juri dicundo praeest." *Mommsen*, Berichte der Königl. Sächsischen Gesellschaft d. Wissenschaften. B. V. 1853. p. 124. Cf. etiam *Zimmern*, Geschichte des Römischen Privatrechts. B. 1. p. 119, Not. 10. — Senatusconsultum a. 580 s. 585 de

errorem induxisse. At verbis „perpetuae jurisdictionis" in l. 7 cit. nihil aliud significatur, nisi jurisdictionem a praetore intra annum, quo munere fungeretur, ad edicta ab ipso proposita continuo exercendam esse, quod convenit cum lege Cornelia, quae referenda est ad edicta, quae praetores ipsi juris dicundi causa — ut ex edictis *suis* jus dicerent, ait Asconius — albo proposuerunt simulatque magistratum inierunt*), ut scirent cives, quod jus per totum annum de quaque re dicturi essent; ad annua igitur edicta a magistratu per totum annum, quo jus dixit, aequaliter servanda, quae perpetuorum nomen obtinuerunt, ut distinguerentur ab edictis, quae, ut Ulpiani verbis utar, prout res incidit, edebantur. Verum quod causam dedit ad tribuendum annuis edictis nomen perpetuorum edictorum, an id apte traduci possit ad quaestiones, valde dubito, quippe quae constitutae erant publicis legibus, quarum verba praetoribus, qui jus facere non poterant, propositis, prout res incidit, edictis explicare, mutare, amplificare non licuit, ne auctoritas legum infringeretur. Nec opus quidem erat edictis, quum lege lata scirent cives, quomodo magistratus quaestionem de singulis criminibus inquisitioni ejus commissis exerciturus esset. Quamquam igitur utriusque generis praetores et causarum civilium et quaestionum non ultra annum munere fungebantur, tamen hac sola de causa *perpetuorum* edictorum nomen non potest applicari quaestionibus.

Haec de prima sententia; progredior ad alteram, quae in medio quasi posita est inter prolatam et eam, de qua postea dicturus sum. Existimant enim

---

edictis perpetuis, quod profert *Pighius* Annal. rom. Antverpiae 1615. fol. P. II. p 378. commenticium esse demonstrat *Wesseling*, Probabilium Lib. sing. Ultrajecti 1738. 8. p. 357. Verba SCti secundum Pighium haec fuerunt: „X. K. Aprilis | — *Hora. Octava.* Senatus. Coactus. In. Hostilia. | S. C. Factum. Est. Uti. Praetores. Ex. Suis. | Perpetuis. Edictis. Jus. Dicerent. | " — *Hoffmann*, Historia Juris Romano-Justinianei. Vol. I. p. 239, not. *g* enumerat editiones SCti. Cf. etiam *Bach* l. c p. 216. *Burchardi*, Lehrbuch des Römischen Rechts T. 1. Stuttgart 1841. §. 62. S. 161 non dubitare videtur, quin hoc SC. exstiterit.

*) *Huschke* ad Incertum Auctorem Magistratuum Vratislaviae 1829, p 57 sq. praetores non primo postquam introducti sunt, sed subseqente demum tempore annua edicta proposuisse scribit. Huschkio assentitur *A. W. Zumpt*, das Criminalrecht der Römischen Republik I. B. 2. Abth. p. 452, Not. 35.

Corradus[15]), *Manutius*[16]), *Geib*[17]), *Rosshirt*[18]), ex edicto, quod *perpetuum* vocetur, *perpetuarum* quaestionum nomen derivandum esse et quaestiones haud secus atque edictum praetoris, quod translatum de albo in album factum esset stabile et perpetuum, perpetuas fuisse. Sed an recte ita existimaverint, equidem dubito, nam praetorum edictum, quamvis tralaticium, jam Carbonis et vel Ciceronis aetate *perpetuum* fuisse appellatum, non recordor me legisse[19]), immo non poterat perpetuum appellari, nam tunc mutabile erat et varium atque inconditum. Posterioris igitur aetatis edicti *perpetui* nomen sit oportet, quo Juliani potissimum compositio edicti tamquam certa et perpetua juris dicundi formula sive lex a superioris temporis edicto tralaticio discernatur.

---

15) *Sebastiani* | *Corradi* Commen | tarius In Quo M. T. Ciceronis de Claris Oratoribus | liber, qui dicitur Brutus, et loci penè | innumerabiles, tum aliorum | scriptorum, tum Ciceronis | ipsius explicantur. Florentiae apud Laurentium Torrentinum Ducalem | Typographum MDLII. Cum Privilegio. | Fol. p. 165: „*Perpetuae*, quibus Romani perpetuo uterentur: unde queritur Cic. in oratione pro Milone, novam quaestionem latam fuisse, quum veteres essent quaestiones. sic. opinor Jurisconsulti *perpetuum* edictum vocant.“ Corradi commentarium a posterioribus Bruti editoribus omnino paene praeteritum esse, miror.

16) *Manutius* in ed. op. Cicer. Venetiis 1582: fol. repetit vv. Corradi, paucis aliquantulum mutatis.

17) Vid supra not. 11.

18) l. c. p. 394: „Im übrigen lag in der Aufstellung der quaestiones perpetuae ursprünglich keine Abänderung des Systems; sie verhielten sich nämlich zu den bereits früher vorgekommenen quaestiones, wie das edictum perpetuum zu den edictis, die der Prätor früher, prout res incidit, gemacht hatte, d. h. es wurde jetzt eine Einrichtung stehend, die früher blos für einzelne Fälle statt hatte.“ Ceterum *Rosshirt* accurate disserit de quaestionibus l. c. p. 406 sqq.

19) Ejusdem sententiae videtur esse *Hugo*, qui (Geschichte d. Röm. Rechts XI. ed. p. 416, not. 2) „den Nahmen, inquit, „*edictum perpetuum*“ findet man gewöhnlich erst seit Hadrian“ (vid. not. 10) et p. 795 sq.: „Unter Hadrian ging mit den Edicten der Obrigkeiten etwas vor, was denn doch wenigstens die Veranlassung dazu gegeben haben muss, dass — (man) erst mit Hadrian den Namen *edictum perpetuum* anfangen lässt.“ Cf. etiam p. 802, not. 3. In contrariam sententiam discedunt *Burchardi* l. c. T. I. p 260; *Böcking*, Institutionen. Bonn 1843. 8. §. 16, not. 11, p. 30 et Pandecten d. Röm. Privatr. Bonn 1852. 8. T. 1. §. 16, not. 11, p. 33; sed cf. *Rudorff*, Römische Rechtsgeschichte. Leipzig 1857. T. I. §. 97, Not. 8, p. 269. — Assentiri non possum clarissimo *Mommsenio*, qui in Diss. über den Inhalt des Rubrischen Gesetzes ordinem legis Rubriae ex edicto Juliani interpretatur (vid. Jahrbuch des gemeinen deutschen Rechts, herausg. v. Bekker und Muther. T. II. p. 320). — Ceterum scripturam *perpetui* edicti in c. 10 C. de Cond. ind. 4, 5 incertam esse, cognoscitur ex *Herrmanni* ed. Cod Just.

An *Gellius*, Juliani aequalis, qui primus *perpetui* edicti mentionem facit — adscripsit enim Noct. Att. lib. X. c. 25 ex edicto *perpetuo* verba praetoris de flamine diali et de sacerdote Vestae—hoc verbum pro Juliani edicto usurpaverit, incertum quidem est, at vero certum, ab exeunte secundo p. C. demum seculo jurisconsultos et imperatores hoc fecisse, de quibus nominandi sunt *Papinianus* in l. 77. §. 29 de Legatis II.; *Paulus* in Sent. 4, 7, 6 et l. 7. §. 1 D. de Appell. recip. 49, 5; *Ulpianus* in Fr. Vatic. §. 317 et l. 5 D. de Extraord. crimin. 47, 11; *Callistratus* in l. 1. §. 1 D. de Jure fisci 49, 14 et l. 5. §. 2 D. de Extraord. cognit. 15, 13; *Modestinus* in l. 52. §. 6 D. de Oblig. et action. 44, 7, qui jurisconsulti partim ultimis seculi secundi, omnes vero prioribus tertii p. C. seculi lustris vixerunt; tum imperatores *Severus* et *Antoninus*, *Gordianus*, *Valerianus* et *Gallienus*, *Diocletianus* et *Maximianus* in c. 2 C. Quod cum eo 4, 26 (196 p. C.); c. 3 C. de Edendo 2, 1 (202); c. 2 C. de Condition. ins. 6, 46 (205); c. 5 C. de Procur. 2, 13 (212); c. 3 C. de His, quae vi 2, 20 (238); c. 4 C. e. t. (239); c. 2 C. de in Jus voc. 2, 2 (239); c. 18 C. Ex quib. caus. maj. 2, 12 (260); c. 13 C. de Transact. 2, 4 (290); c. 1 C. Si advers. solut. 2, 33 (294—305); c. 1 C. de Alienat. jud. mut. ca. 2, 55 (294—305); c. 19 C. ad Sc. Vellej. (4, 29); c. 6 C. Si admitti ad bon. poss. 6, 9 (294—305)*); porro *Justinianus* in l. 2. §. 18 C. de Vet. jur. enucl. 1, 17 et §. 1 Const. Omnem reipublicae; neque silentio praetereundi sunt *Eutropius* 8, 17 et *Hieronymus* in interpret. Eusebii Chron. a. 2147 sive p. C. 133.

Neutiquam igitur ex edicto *perpetuo*, quod proprium erat operis Juliani nomen, quaestiones jam Ciceronis aetate *perpetuas* fuisse appellatas colligi potest.

Hac quoque sententia improbata, reliquum est, ut investigem, quid veri habeat sententia eorum, qui memores ejus aetatis, qua singula quaeque crimina coepta sunt mandari a populo Romano vel consulibus, vel praetoribus, vel dictatoribus lege sive senatusconsulto inquirenda, usque dum, quum crescente in dies numero criminum incommodum esset vel singulas causas ab universo populo mandari magistratibus vel ad tempus creari quaesitores, qui de certis criminibus cognoscerent, satius esse duxit populus quaestiones,

---

*) Quae leges fere omnes respondent titulis sive rubris edicti Juliani.

quibus annuus magistratus praeesset, instituere, has quaestiones propterea, quoniam quotannis magistratus, qui iis praeessent, creabantur ideoque semper erant, qui eas exercerent, *perpetuas* appellatas esse opinantur.

Hujus sententiae sunt *Ferratius*[19a]), *Gravina*[20]), *M. Gesner*[21]), *Forcellini*[22]), *Ernesti*[23]), *Reitz*[24]), *Walter*[25]), *Rosshirt*[26]), *Zachariae*[27]), *Ru-*

19a) *Epistolarum* Libri VI, Venetiis 1736. 4. Epist. XV. de loco Pomponii (de Origine Juris) p. 62, 65: „Anno 601 post R. C. Calpurnius Piso legem tulit, qua primum *publicam* quaestionem Repetundorum constituit *perpetuamque* fecit, ut Romae certus esset quaesitor. — Quamobrem Quaestionem *publicam* constituere *perpetuamque* facere nihil est aliud, quam lata lege jubere, quaesitorem creari quotannis, cui certus Judicum numerus assignatur certumque crimen, de quo jure suo quaerere possit."

20) Origin. Jur. Civ. Lib. 1. c. 36. p. 36 ed. Lips. 1717. 4.

21) *Novus Thesaurus Linguae Latinae* v. *Quaestio*: „Hae nempe quaestiones *perpetuae* praetoribus demandatae, ut toto anno eis vacarent, ut non semper opus esset peculiari et extraordinario populi judicio, quotiens vellet aliquem accusare repetundarum, peculatus aut criminis alicujus publici."

22) *Totius Latinitatis Lexicon*, v. Quaestio. „*Quaestiones perpetuae* dicebantur quaestiones de publicis criminibus, ut *repetundarum*, *de parricidio*, *majestatis*, *peculatus*, etc. Dictae sunt *perpetuae*, quia iis exercendis praeerat suus quaesitor *perpetuus* et ordinarius, non vero novus et extra ordinem. Etenim antequam hujusmodi quaestiones instituerentur, hoc est ante ann. U. C. DCIV., quotiescumque publicum aliquod crimen admissum esset, novus ei quaesitor eligebatur: postea vero suis singulis est datus, qui quotiescumque opus esset, de hujusmodi sceleribus cognosceret; is autem erat unus ex praetoribus. *Cic. Brut.* 27. Quaestiones perpetuae hoc adolescente constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt."

23) *Clavis Cicer. Ind. Latin.* v. *Quaestio*: „De quaestionibus perpetuis tirones haec teneant: Ante L. Pisonis tempora causae publicae agebantur apud populum in comitiis, unde judicia populi dicebantur, cum nullae leges essent, ex quibus apud magistratum reus agi aliquis de crimine publico posset — A. V. autem DCIV. Censorino et Manilio Coss. tribunus plebis legem de Repetundis tulit, quam deinde aliae leges de criminibus publicis secutae sunt, quibus cautum erat, uti ad quaesitorem aliquem, cui ea quaestio obtigisset, hae causae per judices selectos agerentur. Et quoniam quotannis creabantur, quibus hae quaestiones mandarentur, adeoque semper essent, qui eas exercerent, propterea perpetuae sunt appellatae. Ejus rei causa creati sunt, praeter urbanum et peregrinum praetorem, quattuor alii, quibus hae quaestiones mandarentur." Ernesti explicatio ad v. transscripta est in indices editt. Ciceronis Biponti 1780—1787 et Oxonii 1783 4.

24) *Vorlesungen über die Römischen Alterthümer.* Leipzig 1796. 8. p. 428: „Die judicia publica, s. de criminibus publicis, gehörten dem Volk. Als aber in der Folge dem Volk die öfteren Zusammenkünfte beschwerlich wurden, so wurden über gewisse Verbrechen quaestionês perpetuae eingesetzt, welche deswegen so hiessen, weil nach

dorff[28]), *Hugo*[29]), *Geib*[29a]), *Bethmann-Hollweg*[29b]): quorum ii, qui germanice scripserunt, *perpetuas* quaestiones interpretati sunt verbis: „*stehende*, *ständige* Gerichte, *ständige* Criminalgerichte, Behörden." Et speciosam quidem esse hanc v. *perpetuae* explicationem fateor, sed tamen vereor, si licet dissentire a viris eruditione non minus quam sagacitate claris, ne magis speciosa sit, quam vera.

dem einmal vom Volk hierüber gegebenen Gesetz alle Urtheile über diese Verbrechen von der dazu angestellten Magistratsperson sich richten mussten."

25) *Geschichte des Römischen Rechts.* Bonn 1840. 8. Buch V. c. 5. p. 860: „Die Lex Calpurnia des Tribunen L. Piso Frugi (603) ordnete — statt der für jeden einzelnen Fall zu ernennenden Quästion — einen *stehenden* Gerichtshof an." *Mommsen*, Römische Geschichte, T. II. (Berlin 1855) S. 77, *ständige* Senatscommission.

26) Vid. not. 18.

27) l. c. p. 125 sq.: „Es ist sogar zweifelhaft, ob dasselbe (Gesetz, die lex Calpurnia) in dem bisherigen Rechte eine andere Neuerung traf, als die, dass es für das Crimen repetundarum ein *ständiges* Gericht — eine quaestio perpetua bestellte. — Aber schon die Bestellung *ständiger* Criminalgerichte brachte es mit sich etc." et p 149, 151: „*ständiges* Criminalgericht"; p. 150: „von gewissen *ständigen* Behörden."

28) *Römische Rechtsgeschichte.* T. 1. p 75: „In dieser Comitialjurisdiction war jedoch Legislation und Justiz, Gnade und Recht um so bedenklicher gemischt, jemehr die vermehrten Verbrechen der unbehülflichen und beschränkten, reizbaren und mitleidigen städtischen Bürgerversammlung entwuchsen. Daher wurden seit der lex Calpurnia 605 die eigentlichen politischen Processe und ein Theil der gemeinen Verbrechen den Bürgerschaftsgerichten entzogen, um an *ständige*, durch Specialgesetze organisirte und an gesetzliche Beweisregeln gebundene Schwurgerichte (Quaestiones perpetuae) gewiesen zu werden."

29) *Hugo* l. c. (vid. not. 10) et p. 699 sq.: „Bei der Lehre von Verbrechen hatte sich die Art des Verfahrens so gebildet: In Rom war für alle Anklagen einer bestimmten Art, die das Jahr durch vorfielen, ein *stehender* Auftrag (quaestiones perpetuae)."

29a) *l. c.* p. 170: „Bei der Unbehülflichkeit der eigentlichen Comitialgerichte wurde die Anordnung der Quästionen für einzelne Gerichte immer häufiger und musste bei der wachsenden Bevölkerung und steigenden Zahl der Verbrechen nothwendig werden. Nichts natürlicher daher, als dass man zuletzt auf den Gedanken verfiel, wenigstens hinsichtlich derjenigen Verbrechen, welche sich am häufigsten wiederholten, die bisherigen Quästionen in *ständige* Gerichte zu verwandeln und während früher dieselben für jeden vorkommenden Fall speciell bestellt worden waren, sie von nun an gleich für das ganze Jahr, *und somit gleichmässig für alle Zukunft* anzuordnen. Zunächst geschah dieses in Beziehung auf das crimen repetundarum, wo, auf Vorschlag des Volkstribunen L. Piso durch die Lex Calpurnia v. J. 605 die erste *ständige*, oder, wie man sie nannte, die erste Quaestio perpetua errichtet wurde." — Similiter *W. Rein*, das Criminalrecht der Römer. Leipzig 1844. 8. p 61 et (3, 611.

Quod cur statuam, haec habeo. Etenim secundum hanc sententiam populus propter crescentem numerum criminum detulit jurisdictionem suam certis quibusdam magistratibus, qui de criminibus perpetuo quaererent, quasi populus de omnibus criminibus in comitiis judicasset et moderatus esset totum cujusque criminis judicium omnemque actum quaerendi, proinde judicii et quaestionis eadem notio fuisset. Atqui populus non quaesivit de crimine, sed, priusquam in comitia convocaretur, magistratus, accusatoris munus sustinens aut sponte jure magistratus aut mandato populi sive senatus, toti judicio praefuit, populus autem nonnisi suffragium tulit de anquisitione, utrum reus condemnandus esset an absolvendus, quod quidem suffragium non poterat molestius esse eo, quod populus de legibus, crescente in dies earum numero, tulit et extremo etiam tempore reipublicae exercuit. Quominus autem populum de cujusvis generis criminibus judicasse omniumque fere criminum quaestiones in perpetuos praesides quaestionum transtulisse credam, impediunt me non solum quaestiones publicae, postquam quaestionum praetores lege constituti sunt, in comitiis crebro habitae, verum etiam crimina illa, quorum quaestio jam antiquitus a certis quibusdam magistratibus perpetuo exercebatur non convocato in comitia populo, veluti a pontificibus, qui de criminibus religiosis sacerdotum et virginum Vestae judicarunt, atque

---

Idem videtur significare *Klenze*, Fragm. Leg. Serviliae Prol. p. X vv.: „ad quam (audaciam et intemperantiam) in provinciis coercendam primo judicia extraordinaria, deinde ordinaria et *perpetua* introducta sunt."

29b) *Der Römische Civilprocess.* Bonn 1865. 8. II B. S. 10: die Einführung *ständiger* Criminalcommissionen (quaestiones *perpetuae*) seit 605 der Stadt. *Laboulaye* l. c. p. 44 utitur v. commissions permanentes, et *Danz*, Lehrbuch der Geschichte des römischen Rechts (optimus liber). I. Th. Leipzig 1840. 8. §. 42, p. 53: *bleibender* quaesitor, pro praetore, qui quaestioni praefuit Dicit enim: „An die Stelle der früher für jede einzelne Criminaluntersuchung durch das Volk speciell gewählten Magistrate, der quaesitores s. quaestores, wurde für das crimen repetundarum in Folge der lex Calpurnia Pisonis im J. 605 u. c. die erste quaestio perpetua eingeführt, und zuerst ein Prätor für *alle* derartige Untersuchungen als *bleibender* quaesitor ernannt (Cic. Brut. c. 27. de Off. II, 21); so dass von dieser Zeit an, wenigstens für das crimen repetundarum, nicht *jedesmal von neuem* ein quaesitor bestellt und ein Processverfahren gesetzlich festgestellt zu werden brauchte." Ejusdem sententiae videtur esse *C. T. Zumpt*, de Legibus Judiciisque Repetundarum in Republica Romana Commentationes Duae. Berolini 1845. 4. p. 9 sq.

a senatu, qui necessitate urgente in crimina extra urbem ejusque lapidem commissa inquisivit in Italia aut in provinciis, et si credere licet *Pomponio* in l. 2. §. 23 D. de Orig. jur. 1, 2, a quaestoribus.

Crescentem numerum criminum aliquatenus contulisse ad quaestiones constituendas concedo quidem, neque vero eum solum hoc effecisse crediderim. Meo quidem judicio non ex una, sed ex pluribus causis origo et multiplicatio quaestionum derivanda est, quo pertinent inaudita sive nova crimina, praesertim in provinciis commissa, quorum notio, ut nonnullorum aliorum criminum, tunc erat perplexa et obscura, adeo ut eorum quaestio, cujus forma nondum erat definita, populo non posset delegari, veluti quaestio criminis repetundarum teste Cicerone lege Calpurnia demum introducta; deinde morum in pristinam integritatem propter salutem publicam restituendorum corruptio, tum perturbatus tumultibus civilibus status reipublicae judiciorumque*), quae quidem causae omnes et singulae postulabant, ut novus ordo judiciorum de gravissimis saltem criminibus constitueretur. Neque igitur persuadere mihi possum, nullam aliam causam, nisi crescentem numerum criminum movisse Ciceronem, ut quaestiones, de quibus in Bruto loquitur, *perpetuarum* nomine a quaestionibus huic illi magistratui commissis distingueret. Atqui dixerit aliquis, in certa quaedam crimina inquirendi potestatem certis magistratibus a populo lege delatam fuisse, quorum munus annuum fuerit, ideoque magistratum *perpetuo* exstitisse, qui criminis, cujus quaestio lege ei mandata fuerit, quaestionem exercuerit, adhibitis judicibus secundum legem lectis inque tabulas publicas relatis, quorum nominibus in urnam conjectis eos sortitus sit, „qui eidem judices *unius* rei in *perpetuum* sient[30])." Quae quidem me non praetereunt, attamen nihil aliud meo judicio significant, nisi magistratus constitutos fuisse cum munere inquirendi in certa quaedam crimina. Sed magistratus jam antiquitus fuisse, qui de certis criminibus populo non concurrente judicarent, jam supra dixi, eorum autem quaestiones nullo veterum scriptorum loco *perpetuarum* nomine ab aliis

---

*) *Asconius* in Cic. pro Cornelio p. 73: „tunc senatus decrevit, ne judicia, dum tumultus Italicus esset, exercerentur." Vid. etiam not. 9.

30) Sic *Lex Repetundarum* a. 631 vel 632, v. 27. (Corpus Inscriptionum Latinarum Berolini 1863 fol p. 59.)

quaestionibus distinguuntur. Praeterea, ut taceam quaestiones, quas *perpetuas* vocare solent et vel earum primam lege Calpurnia de repetundis constitutam perpessas esse multas vicissitudines*), quotannis praetor judexve quaestionis munere abdicavit, quo facto alius praetor judexve quaestionis successit et praetor urbanus sive peregrinus, sed post Sullam plerumque praetor urbanus novam judicum selectorum tabulam in publico proposuit, ex quibus successori in munere ad unumquodque crimen, de quo cognoscendum erat, tot judices sortiendi erant, quot sorte ei ex lege obvenerunt. Quotannis igitur variantibus judiciis quaestiones non posse vocari *perpetuas* patet. Neque sententiae meae obstare puto illud „*in perpetuum*“, quod lex repetundarum, quam commemoravi, habet, antecedit enim *unius rei*, ex quo intelligi potest illius „*in perpetuum*“ vis et notio, quae haec est, judices ad quaestionem criminis alicujus selectos, postquam et accusator et reus eos rejecerunt, quibus fidem non habebant, non commutari cum aliis judicibus, sed potius permanere in officio usque ad sententiam latam**). Quas ob causas verbum *perpetuae* apte applicari quaestionibus nego. Quod ut negem, penitus mihi persuadent jurisconsulti Romani, quippe qui libros, in quibus de inquirendis puniendisque criminibus disserunt, non inscripsissent de *publicis judiciis* sive *publicorum*, nec simpliciter de *quaestionibus*, sed de *perpetuis* quaestionibus, si hoc quidem quaestionum constans et legitimum nomen fuisset, neque publica ea tantum judicia vocassent, quae ex *legibus judiciorum publicorum* veniunt, ut *Macer* testatur in l. 1 D. de Publicis judiciis 48, 1 his verbis:

„Non omnia judicia, in quibus crimen vertitur, et publica sunt, sed ea tantum, quae ex *legibus judiciorum publicorum* veniunt, ut Julia majestatis, Julia de adulteriis, Cornelia de sicariis et veneficis, Pompeja parricidii, Julia

*) Aliorum quoque judiciorum ordo antiquitus incertus erat et procedente demum tempore in constantem mutatus est; nihilosecius haec judicia perpetuorum nomen non obtinuerunt. Sed hujus rei et vicissitudinum, quas perpessae sunt quaestionis, subtiliorem explicationem non capit brevis libellus academicus.

**) Dicerem sententiam confirmari §. sequente legis: „qui judices *ab eis ita lecti erunt*, quam in rem ei judices lecti erunt, *in eam rem in perpetuum sunto*“, nisi quae literis cursivis expressi, ab editoribus legis restituta essent.

peculatus, Cornelia de testamentis, Julia de vi privata, Julia de vi publica, Julia ambitus, Julia repetundarum, Julia de annona“ [31]).

Hactenus dixi de explicationibus verborum „*perpetuae* quaestiones“ deque rationibus, quibus adductus v. *perpetuae* in Bruti, de quo disputo, loco non interpositum quidem, sed tamen suppositum esse arbitror. Jam reliquum est, ut vocabulum inveniam, quod in locum ejus substituatur.

Quod ut succederet mihi, constitui codices consulere. Constat enim optimum auxilium ad corrigenda menda, quibus libri veterum scriptorum corrupti sunt, a codicibus manuscriptis peti. Non me fugit quidem, *Ellendtium* [32]) et *Orellium* idem subsidium ad emendandum Brutum sibi comparasse, at aliis alia sunt consilia; adjumenti quicquam mihi non attulerunt doctissimi illi viri. Rogavi igitur literis bibliothecarum, in quibus codices Bruti esse aut sciebam aut opinabar, praefectos, ut mihi nunciarent, quid scriptum esset in codicibus, *perpetuae*ne, an aliud verbum. Neque incassum

31) Cf. cum hac lege l. 8 D. de Publicis judiciis 48, 1: „*Paulus* libro singulari de Publicis judiciis. Ordo exercendorum *publicorum* capitalium in usu esse desiit.“ Praeterea seqq. leges hoc loco nominandae sunt: l. 2. §. 1 D. de Vi bon. rapt. 47, 8: „*Ulpianus* libro LVI. ad Edictum. Si quis se vim passum docere possit, *publico* judicio de vi potest experiri“ — l. 6 D. de Injuriis 47, 10: „Paulus libro LV. ad Edictum. Voluit senatus *publica* quaestione rem experiri — quod *publico* judicio praejudicatur“ — l. 2 D. de Concussione 47, 13: „*Macer* libro I. *publicorum* judiciorum. Potest *publicum* esse ex Senatusconsultis, quibus poena legis Corneliae teneri jubentur“ — l. 3 D. de Praevaricatione 47, 15: „*Macer* libro I. *publicorum* judiciorum. Praevaricationis judicium aliud *publicum*, aliud moribus introductum est“ — l. 1 pr. et §. 1 D. ad Legem Corneliam de Sicariis 48, 8: „*Marcianus* libro XIV. Institutionum. Quum magistratus esset *publicove* judicio praeesset — (§. 1) quive falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis *publico* judicio rei capitalis damnaretur, quive magistratus judexve quaestionis ob capitalem causam pecuniam acceperit, ut *publica* lege reus fieret“ — l. un. D. de Lege Julia Ambitus 48, 14: „*Modestinus* libro II. de Poenis. Per legem Juliam judiciariam in legem ambitus committit“ — l. 14 D. ad Legem Juliam peculatus 48, 13: „*Papinianus* libro XXXVI. Quaestionum. *Publica* judicia peculatus et de residuis et repetundarum — quum in his quaestio principalis ablatae pecuniae moveatur“ — l. 1. § 3 D. de Poenis 48, 19: „*Ulpianus* lib. VIII. Disputationum. In legibus *publicorum* judiciorum“, in quibus legibus de *publicis* judiciis sermo est, de *perpetuis* judiciis s. quaestionibus non item. Cf. etiam supra p. 8.

32) *M. Tullii Ciceronis Brutus*. Regimontii Pruss. 1844. 8. Praef. p. VI sqq. Ibi recensentur codices S. Marci, Vaticani, Laurentiani.

rogavi, nam ad unum omnes rescripserunt[33]), quibus viris, quum eximio literarum amore excellentibus variaque doctrina ornatissimis, tum singulari humanitate conspicuis debitas gratias ago, Italis potissimum, qui more suo nihil neglexerunt, quo me adjuvari putarent, non solum quae invenerant in codicibus suis mihi nuntiantes, verum etiam, quatenus nondum factum est in catalogis librorum manuscriptorum publice editis, codices mihi ab omni parte accurate explicantes.

Sperare igitur mihi licuit, posse vocem *perpetuae* cum alia, quae melius quadraret ad Bruti locum, codicum ope commutari. Attamen ea me fefellit spes; eventus enim conatus studiique mei longe alius erat, ac speraveram, nam omnes codices habent aut *perpetue* s. *perp tuae* aut *ꝑpetue* sive *ꝑpetuae*, quod ad idem redit. Dolui consensum, nondum autem desperavi de consilii, quod intenderam, utilitate. Itaque perrexi coeptis instare, remedium quaerens in editionibus Bruti, iis potissimum, quae saeculo XV. et ineunte saeculo XVI. in lucem prodierunt[33a]). Crebro enim illa aetate vetusti codices adhibiti sunt ad veteres scriptores typis primum divulgandos. Sed hic quoque labor inanis erat, nam veteres editiones congruunt cum codicibus, recentiores autem quum totius Ciceronis tum solius Bruti[34]) novi quicquam non habent. Quae quum ita essent, quid facerem diu dubitavi; utrum persisterem in sententia mea, an falsam abjicerem. Illud ut facerem, suasit mihi argumentorum, quibus ductus vocem *perpetuae* suspectam habeo, gravitas, hoc ut facerem, codicum manuscriptorum et veterum editionum consensus; jamque in eo erat, ut res, quas de Bruti loco collegeram, in pugillaribus meis reponerem, quum dubitanti mihi in mentem veniret cogitatio, inesse fortasse aliquid commentariis in Brutum scriptis, quod me diffidentem opinione mea confirmaret. Institui igitur commentarios legere, inprimis veteres[35]), quod prospere

---

33) Sunt autem hi: *Föringer* Monacensis, *Bethmann* Guelpherbitanus, *Münch*-Vindobonensis, *Müller* Oxoniensis, *Eugenius de Rozière* Parisiensis, *Valentinelli* Venetus, *de Furia* Florentinus, *Gorresius* Aug.-Taurinus.

33a) De editionibus Bruti cf. *Bähr*, Geschichte der Römischen Literatur. III. ed. Carlsruhe 1845. T. II. p. 259 sq., ubi vero deest editio Romana a. 1469, quam accurate describit *Ellendt* l. c. Praef p. XI sq., deest etiam ed. Venetiana a. 1483.

34) Recentiorum editionum nullam a me puto praeteritam esse.

35) Nostra aetate scripserunt observationes ad Brutum sive commentarios *Vogel*, *Gebhardt*, *Peter*, *Jahn*, *Piderit*, *Frotscher*, *Kuniss*, *Billerbeck*, quos omnes inspexi, sed sine ullo fructu.

mihi successit. Etsi enim in plerisque bonae frugis quicquam, quod ad explanandas *perpetuas* quaestiones conduceret, non reperi, tamen nonnullos viros sermonis latini et rerum antiquarum peritissimos offendisse in voce *perpetuae* perspexi. Quorum tempore primus est *Sebastianus Corradus*[36]), sagacissimus quondam Bruti interpres, qui, postquam de edicto perpetuo disseruit:

„Videor, inquit, mihi audivisse, esse qui perpetuas Quaestiones interpretentur[37]), in quibus patroni perpetuis orationibus uterentur: nos, ut nunc est, librum veterem libenter sequeremur, in quo scriptum est, *P.*, ut interpretetur *publicae:* quod Quaestiones essent publicae[38]).“

Publicas igitur, non *perpetuas* fuisse quaestiones opinatur Corradus, quae conjectura videtur alios viros doctos movisse, ut verbum perpetuae, quod corruptum esset, corrigerent. Cujacius enim, a quo Corradum vituperatum esse *Lambinus*[39]) et *Gruter*[40]) falso scribunt, mavult in Notis ad Institutiones Justiniani pag. ult. reponi quaestiones *pecuniarum repetundarum.* Verba ejus haec sunt:

„*Repetundarum.* De pecuniis repetundis primus quaestionem constituit L. Piso trib. pleb. neque adduci possum, ut credam eum aut plures alias,

---

36) l. c. (vid. not. 15). *Corradus* natus est in vico Castello d'Arcetto exeunte saeculo XV., audivit Egnatium Venetiis († 1543), publice professus est literas in universitate Fori Lepidi (Reggio), obiit 1556.

37) Qui sint, non potui eruere.

38) Corradi vv. repetita sunt in ed. *Verburg*. Amstelod. 1724. 4. T. 1. p. 204, not. 59 ad Brutum et ad usum *Delphini*, Genev. 1743 not. 81 ad Brutum.

39) in ed. Paris. 1566. fol. T. I. p. 323 et Lutet. 1578. fol T. 1. p. 329, col. 1, not. 36: „lectionem receptam servavi: nam Seb Corradus testatur, ita scriptum esse in cod. quodam vet. quaestiones p. hoc adolescente etc. p. autem vult ille significare, publicae. hoc non probat Cujacius noster, jurisconsultus doctissimus, putatque scriptum initio fuisse, *nam et quaestiones p. rep.* id est *pecuniarum repetundarum.* equidem nihil mutandum censeo. Nam lex de pecuniis repetundis a Pisone lata fecit, ut quaestiones jam et essent et dicerentur perpetuae, quamquam nihil pronuntio.“ Ergo Lambino probatur „*perpetuae.*“

40) ed. Hamburg. 1618. fol. T. I. p. 252: „Corradus è libro ms. reponit *quaestiones publicae*, quod improbat Cujacius, malitque quaestiones *pecuniarum repetundarum*, Notis in Justiniani Institutiones.“ Gruteri notam ad v. receperunt *Gronov* ed. Cicer. Lugd. Bat. 1692. T. 1. p. 154, not. 37 et *Verburg* l. c. (vid. not. 38) not. 58 sq.

aut omnes quaestiones publicas constituisse: nam quod ait M. Tullius in Bruto, Quaestiones perpetuae hoc adolescente constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt, mihi valde à mendo suspectum est, et quia quaestiones perpetuas nusquam legi et quia in lib. vet. Sebast. Corradus, vir eruditissimus ita scriptum esse annotavit Quaestiones p. Crediderim igitur initio scriptum fuisse *Quaestiones p. rep.*, quod est pecuniarum repetundarum. alioquin inconsequenter subjicit M. Tullius: L. enim Piso trib. pleb. legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio Coss. tulit. Confirmat etiam me plurimùm, quod idem auctor iisdem penè verbis in lib. 2. Offic. De pecuniis, inquit, repetundis à L. Pisone lata est lex nulla antea cum fuisset."

Porro eodem fere tempore *Antonius Huraldus*, Regius Consiliarius, legendum esse putavit quaestiones *pecuniae publicae*[41]). Tres igitur viri doctrina praestantissimi jam saeculo XVI. dubitaverunt de integritate scripturae in Bruti illo loco. Quod ad reliquos attinet, displicet Lambino emendatio Corradi[42]), neque ei, qui Ciceronis Operum editionem curavit apud *Petrum de la Rovière* Parisiis 1606. 4., videtur emendatio Corradi placuisse, scribenti in m. p. 318, P. I:

„al. quaestiónes. p. rep. Ita scriptum in veteri codice monet Sebastianus Corradus. unde Cujacius in f. institut. facit quaestiones pecuniarum repetundarum, quod et sequentia confirmare videntur. Nisi malis perpetuas hic solenniter interpretari quod tamen minus probo. Alii legunt quaestiones pecuniae publicae."

41) *Huraldi* conjecturam cognovi ex Lambino l. c.: „Antonius Huraldus consiliarius Regius legendum putat, quaestiones *pecuniae publicae*, quem adjuvaret locus ille Philipp. I. verberibus ac tormentis quaestionem habuit pecuniae publicae etc. nisi in eo loco de quaestione, quae habetur per tormenta, ageretur." De *Antonio* Huraldo nihil mihi innotuit, neque scio, an gallice scribendus sit *Hurault*, cujus nominis exstitisse in Gallia nobilissimam gentem me docuit *Gersdorf*, vir eruditissimus atque humanissimus, quam gentem illustravit doctrina, qua pollebat et summis a Henrico III. et IV., Galliarum regibus, in eum collatis muneribus *Philippus* Hurault, Thuani gener. Eadem cum gente videtur affinitate junctus fuisse *L'Hôpital Michel* Hurault. Antea sub hoc nomine suspicabar latere *Petrum Ayrault* s. *Airault*, qui amplissimum librum de Judiciis Rom. Genevae 1577. fol (rep. Parisiis 1615. fol.) edidit, cujus titulus est: „Rerum ab omni antiquitate judicatarum epitome;" sed latinum ejus nomen est *Aerodius*.

42) l. c. not. 39.

Utrumque et Corradum et Cujacium vituperat *C. F. Wetzel*[43]), qui:

„*quaest. perpet.*, inquit, universales, ut Ernesti explicat in clave, cum de genere universo quaeritur. Hinc non est, cur cum Corrado corrigas *publicae*, multoque minus cum Cujacio: *quaestiones pecuniarum repetundarum.*"

Similiter *Schütz*[44]) et *Ellendt*[45]), quorum ille sic:

„Frustra Corradus quaestiones publicae. Nec felicius Cujacius quaestiones pecuniarum repetundarum", et hic:

„q. *publicae* malebat Corradus. quaest. *pecuniarum repetundarum.* Cujacius, unam Calpurniam spectans. Sed Cicero universe loquitur."

Quid *Forcellini*[46]) probet, non intelligitur ex nota ejus, ubi scribit:

„Sunt qui pro *perpetuae* putant *publicae* legi oportere, alii qui *pecuniariae*, quia in *aliquibus* Mss. *Quaestiones P.* habetur"

nec qui sint illi libri manuscripti dicit[47]).

Protuli emendationes sive conjecturas virorum doctorum a me repertas, quarum summa est, legendum esse aut *publicae* quaestiones, aut *pecuniarum repetundarum* quaestiones, aut *pecuniae publicae* quaestiones, quas emendationes habere quidem in se aliquid, quo commendentur, adducit me, ut mihi persuadeam, auctoritas virorum, qui eas proposuerunt, sed quum inter se discrepent, meum esse puto examinare quid valeant. Et prima quidem facie commendatur Cujacii conjectura duplici modo, quandoquidem crimen, ad quod reprimendum lex Calpurnia lata est, et rem repetendam complectatur. Verum quominus eam recipiendam credam, haec me impediunt. Etenim Cicero expressit verbum *perpetuae,* de quo hic quaeritur, aut literis, aut nota aliqua: si quidem literis, Cujacius duo verba posuit pro uno, quod ferendum non est, sin autem

43) in ed. Bruti. Halae 1793. 8. p. 74, not. 9.

44) Oper. Cicer. Lipsiae 1814 sqq. Tom. II. p. 48, not. 1.

45) l. c. (vid. not. 32) p. 201, not. 106.

46) l c. (vid. not. 22) ad v. Quaestio. Etiam *Ferratius* l. c. (vid. not. 19a) loquitur de *quaestionibus publicis*, sed incerto modo.

47) Fortasse nisus est *Manutio* (vid. not. 16), qui „vetera tamen, inquit, exemplaria habent *P.*, id est publicae quaestiones." Corradus de uno solo vetere libro loquitur.

nota, neque tum Cujacii emendatio congruit cum notis, quae extant in monumentis antiquis, sive haec inscriptiones sunt aeri et lapidibus incisae sive libri manuscripti, aut in libris scriptorum, qui colligendis notis operam dederunt. Composuit enim Cujacius emendationem suam ex singulis, ex quibus v. *perpetuae* constat, literis, in qua componenda, si viro perillustri obloqui licet, nimis indulsit ingenio suo. Prima enim syllaba vocis *perpetuae* est *per*, nisi Cujacius solam primam literam, quae in legis actionum formulis verborum non solum *publice*, sed et *pecuniae* nota est, teste Valerio Probo, *pecuniarum*, tum literas *rp* et quae sequuntur, *repetundarum* interpretatus est. Sed artificiosam esse hanc interpretationem, neminem esse arbitror, qui neget, praesertim quum post literam *p* supersit litera *e*, quae excidit in hac interpretatione. Neque usquam vidi Romanos scripsisse *pe* pro pecunia, deest enim litera cohaerens, quae totum vocabulum exprimat, quare Romani scripserunt *pec.*, non *pe.*; deest etiam in indicibus notarum compendium scribendi *rep* pro repetundarum. Denique vero hoc est vitii in Cujacii conjectura, quod Cicero universum genus quaestionum comprehendit, Cujacius ad unam solam quaestionem respicit[48]). Quas ob causas non dubitavi a Cujacii conjectura discedere.

Haud secus ac Cujacio iis quoque, *pecuniae publicae* legi malunt, vitio vertendum est, quod duo verba pro uno restituunt et unam solam quaestionem in mente habent. Scio quidem Romanos nonnunquam adhibuisse literas *P. P.* pro pecunia publica, idem igitur compendium scribendi, quo *Perpetuus, Perpetuo* expresserint. Sit ita sane; nihilosecius haec conjectura mea quidem opinione recipi non potest, quum omni vestigio repetundarum pecuniarum provinciis sociisque illicite ablatarum destituatur, criminis igitur, ad quod reprimendum quaestionem L. Pisone auctore constitutam Cicero dicit; praeterea autem valde dubitandum sit, num Cicero usus sit compendio scribendi, quod tres diversas quaestiones comprehendat: repetundarum, de peculatu deque residuis; nam quam-

48) Cicero quidem ad primam lege Calpurnia introductam quaestionem repetundarum quaestiones constitutas esse dicit, videtur autem posteriores quaestiones, Sullae potissimum in mente habuisse.

quam omnes ad pecuniam repetendam constitutae erant, quaestiones tamen de peculatu et de residuis spectabant ad pecuniam potissimum publicam ablatam, interceptam, aut ab eo, cui delegata erat, in rem suam versam sive illicite retentam.

Haec mihi videbantur monenda de primi et secundi generis emendationibus. Superest ut de Corradi emendatione dicam. Eam reliquis praestare mihi persuasum est quum propter simplicitatem et consensum cum reliquis locis de quaestionibus publicis, quos supra attuli, tum propter codicem, ex quo Corradus literam *P* hausit. Et propter simplicitatem quidem, quia unum solum vocabulum substituitur voci *perpetuae*; propter consensum, quia in locis illis quaestiones *publicarum*, non *perpetuarum* nomine notantur; denique vero propter codicem, quoniam Corradus veteris libri auctoritatem secutus literam *P* reponi vult, qua compendiaria litera Romanos pro adjectivo „*Publicus*“ etc. usos esse inter omnes constat.

Omisit quidem Corradus dicere, qui liber vetus ipsi ad manus fuerit, quare codex ille hodie ignoratur; omnes enim Bruti codices, quos adhuc extare scimus, non sunt antiquiores saeculo XV[49]). Neque vero propterea de Corradi fide dubitandum est. Fuisse enim olim in bibliothecis veteres codices Bruti cognoscitur ex antiquissimo illo codice Ms. *Gerardi Landriani* episcopi Laudensis, quem *Ellendt*[50]) periisse queritur.

Fluctuat igitur, ratione notae a Corrado prolatae habita, Bruti locus inter duas scripturas: „*perpetuae*“ et „*publicae*“, quapropter quaeri potest, quomodo hujus diversitatis origo explicari possit? Ad quam quaestionem quae respondeam, haec habeo. Cicero apposuit post vocem „quaestiones“ aut literam *P*, aut notam, quam Tironianam vocant. Illa reperitur, ut reliquae, ad quas veterum scriptorum interpretes in locis restituendis provocare solent, in monumentis antiquis et libris accurate scriptis, haec, sicubi currente quasi manu aliquid exaratum est. Jam vero non inepte mihi videor opinari, Brutum currente magis manu, quam lente et studio formose scribendi a Cicerone exaratum aut, quod probabile est, a scriba, cui Cicero

49) Vid. p. 20.
50) *Ellendt* l. c. Praef. p. VI.

dictavit, notis exceptum fuisse. Differt autem nota illa Tironiana vocis *publicae* non multum ab ea, quam Romani pro *„perpetuae“* adhibere soliti sunt. Utriusque enim forma haec est: *perpetuum* *publicae*[51]). Facile igitur accidere potuit, ut librarii codicum, qui notarum vim ignorarent, notam vocis *publicae* interpretarentur *perpetuae*, falso igitur eam solventes auctores fierent scripturae in libris manuscriptis et proinde editis receptae.

Sed tamen, quicquid est, utrum Cicero ejusve scriba literam *P.* posuerit, an notam Tironianam adhibuerit, nil refert. Probandam esse censeo conjecturam Corradi. Sententiam enim eorum, qui vocem *perpetuae* proprium quaestionum nomen fuisse putant, jam supra refelli, praesertim quum a contrario *publicas* eas appellent Pomponius et Ulpianus, jurisconsulti, *publicas* etiam Constantinus imperator. Publicas autem eas appellant, quia in judiciis[52]), quorum judices vice publicorum populi comitiorum fungebantur, ex lege publica quotannis, non prout res incidit mandato populi speciali constituendis, a praetoribus publice exercebantur ad certum ordinem lege definitum certamque formam[53]).

Sed haec satis sunt. Peritos autem ancipitis, quam tractare ausus sum, quaestionis rogo, ut me benevole excusent, si quid in hoc repentino[54])

---

51) Cf. *Kopp*, Palaeographia critica P. II. Mannhemii 1817. 4. p. 270, 289 et §. 223, 366, 368 s. p. 190, 328, 329 sq. T. I. Similibus notis scripta sunt vv. *publicus* , *publico judicio* , *publice privatque* .

52) Cf. *Zachariae* l. c. p. 149 sqq. not. 216. Quod attinet tempus reipublicae Romanae, non possum assentiri viro perillustri p. 150 sq. contendenti, totam jurisdictionem criminalem certis quibusdam perpetuis magistratibus post Sullam mandatam esse.

53) De formulis judiciorum publicorum eleganter scripsit *Fr. Dan. Sanio:* „de jurisprudentia Romanorum formularia in jure criminum haud negligenda specimen I. Regiomonti Prussorum 1862. 4.“

54) *Repentini* quoque edicti nomen, quod Cicero solus habet (Verr. Act. II, Lib. 3, 14, 36), mihi suspectum est. Verba Ciceronis haec sunt: „Exoritur peculiare edictum *repentinum*, ne quis frumentum de area tolleret, antequam cum decumano pactus esset. Ferebat hanc quoque iniquitatem Septicius — cum illud edictum *repente* — nascitur, ut ante Kalendas etc.“ Dicunt quidem latini sermonis interpretes, Ciceronem haud raro usurpasse acuta verba, quibus vim rei, de qua loqueretur, exprimeret. Sit ita. Quid autem probat? Hoc censeo, vocem *perpetuae* in Bruto non esse legitimam.

et quasi tumultuario commentario erraverim. Eam enim esse aetatem meam, jam supra dixi, in quam cadat pervulgatum illud dictum: melius est desinere quam deficere.

Transeamus nunc ad id, quod causam hujus libelli edendi dedit. Indicenda enim est solemnitas ad celebrandam memoriam Viri de nostra Academia optime meriti CHRISTIANI FRIDERICI KEES, Principi Schwarzb. Rudolst. quondam a consiliis aulicis. Qui quidem in testamento die XXI. Martii mensis anno MDCCCXXXVII. condito Academiae nostrae quindecim millia thalerorum legavit, quorum usurae inter quatuor vel quinque juris Doctores sive extraordinarios juris professores sive privatim docentes ita distribuerentur, ut per sex annos continuos quilibet eorum hoc beneficio frueretur.

Hic autem legato modus adjectus est, ut quotannis ipso die, quo testator obiit, eorum, qui hoc commodo fruantur, aliquis publica oratione memoriam beneficii recolat piumque et gratum Academiae animum palam significet. Quapropter Vir Excellentissimus Jurium Consultissimus et Doctissimus

D. CHRISTIANUS HERMANNUS HOECK
Juris Professor Publicus Extraordinarius

die XIII. mens. Febr. h. a. hora IX. in auditorio Jurisconsultorum solemnem orationem habebit:

De speculo saxonico libertatis hominibus innatae assertore antiquissimo.

Quam quidem solemnitatem ut VOS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI, vestra praesentia ornare velitis, ea qua par est, observantia rogamus.

LIPSIAE,

TYPIS A. EDELMANNI, TYPOGR. ACADEMIAE.



BRITTLE DO NOT PHOTOCOPY

